

siccitas excepit (& proinde infirmū esse hinc ductū argumētū) ei ego sic respōdeo. Fateor non sempā scriptorib. mētionē factā tēperationis anni, quoties Cometa ex ortus fuit. Fateor etiā, aliquando graues tēpestates, largos imbres, exūdationes subsecutas. At ex his nō sequit̄, siccitatē nō uel antecessisse, uel successisse. Quoties accidit, ut plures unū descripserint, quęq; deinde acciderūt enumerarint, ac uix vnuis siccitatis meminerit. In causa fuit, quòd pleriq; omnes persuasum habuere, Cometas dira & magna miracula, clades, pestes, regnorū mutationes, excidia gentium & urbium, magnorū Principum interitum, portendere. Itaq; temperiem aeris sicciorē solito, si consuetam non multum excederet, facile tanquam usitatam minimeq; mirandam prētermiserunt.

Hinc factum est, ut maximas solummodo aeris et planē modum excedentes commemorarint. Quis anni 1556. ariditatem, quæ tamen satis magna fuit, quis anni 1558. (Repeto proxima, quorum adhuc recordamur) siccitatem plus, quam mediocrem annotauit? Nullus, quod quidē rescire ego potuerim. Cur ita? Quia nō fuerunt miraculosæ, sed paulum supra mediocrem temperationem ascenderunt. Fuit autem maior anni 1556. cum & Cometa maior fuerit. Mirum porrò non est, quod non omnem Cometam siccitas comitatur & sequitur, cum à naturalibus causis suscitetur. Potest autem facile talis causa à contrariæ causæ motu impediri, præsertim in aere. Quam sæpè enim uidemus serenitatis futuræ indicia certa, & alio uento moto pro siccitate pluuiam experimur? Sic potest usu venire, ut, cum siccis exhalationibus plenus est aer, ex aliquo loco nihilominus tanta uis uaporum surgat, ut pluuias inde nasci frequentes & largas planē sit necessarium.

Cæterūm à siccis halitibus Cometas effici, indicium insuper est, quod subinde cum Cometis alia ignita Meteora se prodiderunt, aut plures simul apparuerunt. Exempla ex multis pauca attingam. Et primum quidem